

## Alte Drucke

**ASSERTIO ORTHODOXA: || VNVM ET EVN=||DEM VERVM  
DEVM || ESSE PATREM, FILIVM ET || SPIRITVM SANCTVM:||  
DE QVA D. F. G. PVBLICE DI=||sputabitur ...**

**Pierius, Urban**

**Magdeburg, 1579**

**VD16 ZV 27212**

**QVAESTIO.**

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148456**

# QVÆSTIO.



*Q*UAM scriptura nunc Patrem, nunc Filium, nunc Spiritum Sanctum Dei nomine appellet, necq̃ tamen tres sint numero Dij, sed vnus Deus tantum: queritur, an Pater, Filius & Spiritus Sanctus sint vnus ille idemq̃, Deus: an verò vni horum ita Dei nomen tribuatur, ut reliqui duo non reuera sint Deus, sed nuncupatione tantum.

## PROPOSITIO I.

*A*c Antitrinitarij quidem, licet inter se ipsi dissentiant, dum alij Samosatenianorum siue Photinianorum, alij Arianorum, alij Trithetarum opinionem & errores sequuntur: in eo tamen conueniunt, quòd solum Patrem sic vnum verum Deum profitentur, ut huius diuinitate Filium & Spiritum Sanctum excludant, quosdamq̃ gradus & inaequalitatem inter hos tres constituent.

### II.

Dicunt enim, quòd vnus solus Pater sit αὐτὸ θεός, ἀνάγκη καὶ ὁ υἱός αὐτοῦ, verus, natura, aternus, altissimus, & super omnia Deus, ex quo omnia: Filius verò sit Deus à Patre in tempore formatus, & ex eo tanquam essentia quedam secunda propagatus, adeoq̃ ipso Patre veluti creatura Creatore inferior, & quo Pater ceu instrumento in creatione & recreatione vtatur, & qui propterea etiam Deus nominetur, quòd ex diuinitate Patris sit exadificatus, donis Spiritus Sancti praefortibus & absq̃ mensura exornatus, potestate in caelo & in terra donatus, humaniq̃ generis redemptor constitutus: Spiritus Sanctus deniq̃ non sit Deus, sed motus creatus, seu donum & vis à Patre luminum electis ad possessionem vitae aeternae communicata.

A 2

III. Bre-

*Antitrinitarij  
collarij  
No. 74.*

*Blasphemia calu-  
nia*

III.

*Breuit̃, statunt Filium & Spiritum Sanctum non esse  
vnum & eundem cum Patre Deum, sed ab hoc essentiatos Dei-  
tatem suam dependentem habere.*

IIII.

*Filium igitur & Spiritum Sanctum diuinitate sua spoli-  
ant, ut qui nominetenus & non reuera Deus illis appellantur.*

V.

*Nos verò scriptis Prophetis & Apostolicis rectius edocti  
credimus, dicimus & profiteamur, Patrem ita esse vnum verum  
Deum, ut ab huius diuinitate Filius & Spiritus Sanctus non  
excludantur, sed duo isti sint idem Deus qui est Pater.*

VI.

*Et si enim hi tres suis proprietatibus incommunicabilibus  
& caracteristicis ita re ipsa distincti sunt, ut quilibet eorum  
alius sit secundum hypostasim, quàm reliqui duo: Natura ta-  
men seu essentia respectu non sunt tantum una Deitas, sed eti-  
am vnus & idem Deus: Id quod sequentibus rationibus ex  
scriptura petitis planum faciemus.*

VII.

*Principio certum est, vnum & solum verum Deum esse  
illum, qui in scriptura sacra proprie Iehoua appellatur.*

VIII.

*Non enim vllus est Deus præter Iehouam, Psal. 18.*

IX.

*Vnde etiam hoc nomen est Deo propriissimum, quo à fictis  
gentium idolis vult discerni. Exo. 33. Esa, 42, Amos 5.*

X.

*Ob hanc quoq; causam memoriale Dei vocatur, Exodi 3.  
Hos. 12.*

XI.

*At quia Patri, Filio & Spiritui Sancto proprie no-  
men Iehoua in scriptura tribuitur.*

XII. Inui-

XII.

Inuicta demonstratione sequitur, hos tres quoque esse unum  
illum & eundem verum Deum.

XIII.

Pater enim Iehoua appellatur, Psal. 2. Iehoua dixit ad  
me, Filius meus es tu. Et Psal. 110. Dixit Iehoua Domino  
meo, &c.

XIIII.

De Filio verò dicitur, Psal. 47. Ascendit Deus cum iubi-  
lò, & Iehoua in voce tubæ.

XV.

Et Psal. 95. Propheta David monet, ne quis ad vocem  
magni Iehouæ obduret cor suum: quam Iehouæ vocem Aposto-  
lus de voce Christi interpretatur, Heb. 3.

XVI.

Sic quod Psal. 102. de Iehoua dicitur: Initio tu Iehoua  
terram fundasti, &c. id similiter Apostolus de Christo inter-  
pretatur, Heb. 1.

XVII.

Iohannes quoque, cap. 12. testatur, Iehouam exercituum,  
qui Esa. 6. apparuit, fuisse filium Dei.

XVIII.

Et Iehoua qui futurus sit sanctuarium, & lapis offendi-  
culi, & petra ruina, &c. Esa. 8. est Christus, Luc. 1. Rom. 9.  
1. Pet. 2.

XIX.

Sic quod Esa. 25. de Dominatore Iehoua dicitur, quod  
absorpturus sit mortem in sempiternum, & lacrymas abster-  
surus à cunctis faciebus, &c. Id de Filio Dei interpretantur  
Apostolus, 1. Cor. 15. & Iohannes Apoc. 7. & 21.

XX.

Similiter, quæ de Iehoua pascente gregem suum, Esa. 40.  
A 3. & Ezech.

& Ezech. 34. dicuntur, ea de Filio intelligenda esse euincitur  
Iohan. 10. & Apoc. 22.

XXI.

Et ut innumera alia testimonia, qua docent Christum  
esse Iehouam, omittamus, vel illud unum sufficere potest: Hoc  
nomen eius quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra, Ierem.  
23. Et quod in nouo Testamento fere millies Domini, h. e. Ie-  
houa nomine insignitur.

XXII.

Spiritum Sanctum deniq. Iehouam esse vel inde patet,  
quia is loquutus est in Prophetis & sanctis Dei hominibus, 2.  
Sam. 23. Ezech. 2. Matth. 10. Act. 1. 1. Pet. 1. 2. Pet. 1. quod  
se facturum Iehoua pollicetur: Ego ero in ore tuo, inquit, &  
docēbo te quid loquaris, Exodi 4. Item: Si fuerit Propheta vo-  
bis, ego Iehoua in visione apparebo illi, in somnio loquar cum  
illo. Vnde etiam Propheta ad populum verba facientes, se Ieho-  
ua verba proferre, & Iehouam locutum esse, singulis fere pagi-  
nis attestantur. Et Apostoli, Act. 4. idem profitentur, cum in-  
quiunt: Domine tu es, qui per os Davidis pueri tui dixisti, &c.

XXIII.

Deinde cum in scriptura pro eodem accipiatur, irritare  
Spiritus Sanctum, Esa. 63. Hebr. 3. & irritare Iehouam,  
Deut. 9. Sequitur Spiritum Sanctum esse Iehouam.

XXIV.

Præterea, Esa. 6. apparet Iehoua exercituum, & mittit  
Prophetam: quod de Spiritu Sancto interpretatur Apostolus Act.  
28.

XXV.

Et Ezech. 2. Spiritus Sanctus mittens Prophetam ait:  
Hec dicit Iehoua Deus, &c.

XXVI.

Et Spiritus Iehoua qui loquutus est in Dauide, 2. Sam.  
23. nominatur Iehoua, Psal 85. Audiam, quid in me loquatur  
Iehoua. item in Hosea, act. 27. Deniq.

dis ist  
30. ist  
mox  
vbi  
dig.

XXVII.

Deniq; Spiritus Sanctus in nouo quoq; Testamento Dominus siue Iehoua vocatur. Apostolus enim eundem modo Spiritum modo Dominum appellat, 1. Cor. 12. Et precatur, ut Dominus dirigat viam nostram in dilectionem Dei, & expectationem Iesu Christi, 2. Thes. 3. Vbi Domini nomine Spiritum Sanctum intelligendum esse mentio Dei & Christi conuincit.

XXVIII.

Primum igitur, cum appellatio nominis Iehoua, quae soli Deo propria est, non tantum Patri, sed etiam Filio & Spiritui Sancto ex aequo competat: necessario sequitur, quod hi tres sint unus & idem Deus.

XXIX.

Deinde ex Dei quoq; propria appellatione, quae similiter Patri, Filio & Spiritui Sancto communis est, idem colligitur.

XXX.

Pater autem Deus vocatur, Iohan. 17. ubi Christus inquit: Hac est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et Iohan. 20. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deam vestrum. Et Iohan. 1. scribitur, Verbum fuisse apud Deum, h. e. apud Patrem, ut 1. Iohan. 1. explicatur. Sic Deus (Pater) olim locutus esse Patribus per Prophetas dicitur, Hebr. 1.

XXXI.

Filio appellatio Dei tribuitur, Psal. 45. & Hebr. 1. Thronus tuus, Deus, in seculum seculi, &c. λόγος erat Deus, Iohan. 1.

XXXII.

Et ne quis ipsum Deum ratione tantum officij, & propter dona Spiritus Sancti sine mensura collata, potestatemq; à Deo concessam dici existimet: interpretatur scriptura seipsam,

seipsam, tribuens illi formam Dei, Phil. 2. eternitatem, Ps. 2.  
102. Heb. 1. Prouerb. 8. Esa. 9. Mich. 5. Iohan. 1. potestatem  
& gloriam aternam, Dan. 7. Ioh. 17. regnum aeternum, Dan.  
3. 4. 7. Mich. 4. Luc. 1. omnipotentiam, Phil. 3. omniscienti-  
am, Iohan. 2. 16. futurorum præscentiam, Matth. 12. Ioh. 6.  
13. 16. 18. cogitationum humanarum notitiam, Matth. 9. 12.  
16. Marc. 12. Luc. 5. 6. 9. 11. Iohan. 6. cordium perscrutatio-  
nem, Apoc. 2. creationem & conseruationem rerum omnium,  
Col. 1. Heb. 1. Iohan. 1. vite amisse restitutionem, Iohan. 10.  
1. Cor. 15. cultum inuocationis, qui soli Deo debetur: vt infra  
patebit.

XXXIII.

Et propterea sæpè nominat ipsum non Deum simpliciter,  
sed Deum magnum, Tit. 2. Deum verum, 1. Iohan. 5. Deum  
omnipotentem, Apoc. 1. 4. 11. 15. 16. 19. 21. Deum benedictum  
in secula, Rom. 9. Regem regum, & Dominum dominantium,  
Apoc. 17. 19. primum & nouissimum, Apoc. 1. 2. 22. (qualem se  
quoq; Deus Iehoua nominat, Esa. 41. & 44.) qui est, qui erat,  
& qui venturus est, Apoc. 4. 11.

XXXIII.

Spiritus Sanctus Deus nominatur 2. Sam. 23. ubi pro eo-  
dem accipitur Spiritus Domini & fortis Deus Israël. Et Petrus  
pro eodem usurpat, mentiri Spiritui Sancto, & mentiri Deo,  
Act. 5. Sic Paulo idem est templum Spiritus Sancti, & templum  
Dei, 1. Cor. 3. & 6. Sicut & eundem modò Spiritum, modò De-  
um appellat 1. Cor. 12.

XXXV.

Et cum sapientia à Deo petenda sit, Iaco. 1. hac verò de-  
tur à Spiritu Dei omnipotentis, Iob. 32. sequitur Spiritum San-  
ctum esse Deum.

XXXVI.

Quare, cum non solus Pater, sed Filius quoq; & Spiritus  
Sanctus veri Dei nomine in scriptura propriè & eadem ratione  
appellantur, neg; tamen tres sint Dij, sed vnus Deus, Deut. 4.  
6. 32. Mar. 12. 1. Cor. 8. manifestum euadit, tres illos esse  
vnum & eundem Deum.

XXXVII. Ex

## XXXVII.

Ex opere quoque creationis assertio nostra confirmari potest.

## XXXVIII.

Hoc enim cum sit solius Dei proprium, ita ut Dñi, qui non fecerunt cælum & terram, sint maledicti, Ierem. 10. & Deo non tantum absolute, Gen. 1. Esa. 45. Ier. 10. 51. Baruch 3. Psal. 89. 146. Act. 14. 17. Hebr. 3. sed etiam distinctè nunc Patri, nunc Filio, nunc Spiritui Sancto adscribatur: Hos tres quoque unum & eundem Deum dicere & fateri necesse est.

## XXXIX.

Patrem enim cæli & terre creatorem Apostoli in symbolo suo profitentur.

## XL.

Et iidem, Act. 4. orant: Domine tu es Deus ille, qui fecisti cælum & terram, &c. Nam hæc verba de Patre intelligenda esse ostendit contextus & mentio Filij.

## XLI.

Et Hebr. 1. dicitur Deus (Pater) per Filium secula condidisse.

## XLII.

Vnde etiam Filius Patrem cæli & terre Dominum vocat, Matth. 11.

## XLIII.

De Filio Apostolus, Hebr. 1. interpretatur illud Psalmi 102. In principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.

## XLIV.

Et idem ille Iehoua, sanctus Israël & formator eius, qui Esa. 45. dicit: Mihi curuabitur omne genu: Ibidem etiam addit, se fecisse terram, & hominem super eam creasse, & suis se manibus cælos extendisse, & eorum militia imperare. Hoc verò cum de Filio scriptum esse, Apostolus Rom. 14. testetur, cum inquit: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi seditur omne genus, &c. Inuicta demonstratione sequitur, Filium & Iehouam esse & mundi creatorem.

## XLV.

Quo etiam facit, quod sapientia Dei, qua est Filius, 1.

B

Corinth.

*Handwritten notes:*  
 No. 12.  
 Ch. No. 3.  
 7

Corint. 1. scribitur Deo in rerum omnium formatione ab initio  
affuisse, Prou. 8. Sap. 9. non quidem ociose, sed efficaci operati-  
one: sicut ipse Christus interpretatur, Iohan. 5. Pater meus  
usq; adhuc operatur, & ego operor.

XLVI.

Sic Filio creationem Iohannes cap. 1. adscribit, inquit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Quod clarius explicat, quando ibidem subiicit: Mundus per ipsum factus est. Et Apostolus testatur, Omnia per ipsum creata esse, quae in caelis sunt, & quae in terra, visibilia & inuisibilia, &c. Col. 1. Et Apoc. 4. legitur, Dominum, id est, agnum (qui est Christus Esa. 53. Ier. 11. Ioh. 1.) ut sequenti cap. 5. exponitur, creasse omnia.

XLVII.

Deniq; ex adorationis cultu, qui, ut infra patebit, etiam Christo debetur, manifestissime conuincitur, eum esse caeli & terra conditorem: quod adorandus non sit, nisi qui fecit caelum & terram, Apoc. 14.

XLVIII.

Vnde etiam, Esa. 45. ideo sibi curuandum omne genu Iehoua pronunciat, quia terram fecerit, & hominem super eam creauerit.

XLIX.

Et Apoc. 4. viginti quatuor seniores dicunt, Dominum propterea dignum esse, qui accipiat gloriam & honorem & virtutem, quia ipse creauerit omnia.

L.

Et Apostolus pro profanis gentibus reputat, qui neglecto Creatore creaturas adorant, Rom. 1.

LI.

Spiritui autem Sancto creatio tribuitur, Gen. 1. ubi Moyses scribit, Spiritum aquis incubuisse, hoc est, vim suam diuinam & omnipotentem, in rudi adhuc, & infirmi materia fouendi & sustentanda exeruisse, & iam tunc quoq; operatum

ratum fuisse, antequam pulchritudo mundi, quae nunc cernitur,  
accederet.

LII.

Vnde Psal. 33. dicitur, quod Spiritu oris Domini omnis  
caelorum virtus firmata sit. Et Psal. 104. legitur, quod per emis-  
sionem Spiritus omnia creentur, & facies terra renouetur. Et  
Iob. 20. scribitur, Deum Spiritu suo caelos ornasse.

LIII.

Manifestum quoque extat testimonium, Iob. 33. Spiritus  
Iehoua creauit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me.

LIIII.

Sed & Esa. 40. apertissime pronuntiatur, Spiritum San-  
ctum vi omnipotentis res omnes condidisse, nullis socijs aut  
ministris adhibitis. Quis adiuuit Spiritum Iehoua? &c.

LV.

Denique Spiritui Sancto creatio humanae naturae, qua  
lius in utero virginis sibi ipsos & uniuersum tribuitur Mari.  
Luc. 1.

LVI.

Vnde patet, non solum Patrem, sed Filium quoque & Spi-  
ritum Sanctum caeli & terrae omniumque creaturarum conditorem  
dici & esse.

LVII.

At caeli terraeque creator tantum unus est: sicut dicitur  
Malach. 2. Nunquid non pater unus omnium nostrum? nun-  
quid non Deus unus creauit nos?

LVIII.

Ergo unus ille & idem Deus sunt Pater, Filius & Spiri-  
tus Sanctus.

LIX.

Præterea cum distributio bonorum spiritualium sit opus  
soli Dei, quem Dauid alloquitur Psal. 68. Ascendisti in al-  
tum, captiuam duxisti captiuitatem, accepisti dona in homini-  
bus: atque hoc opus non tantum Patri, sed etiam Filio, Eph. 4.  
et Spiritui Sancto, 1. Cor. 12, ascribatur: Sequitur hos tres esse  
unum & eundem Deum.

B 2

LX. Ex

*Quod singulis Argumentis nunc singulis* LX.

*Sam. 7.  
Ex. 17.*

Ex alijs quoq; actionibus soli Deo competentibus, quales sunt, natura lapsæ restitutio & recreatio, rerum omnium conservatio, Ecclesiæ collectio & gubernatio, iudicij administratio & similes, quæ nunc Deo absolute & indefinitè, nunc distinctè singulis personis adscribuntur, evidenti simè assertio nostra demonstrari posset, si singula persequi esset instituti nostri: Sed sufficiat hic solam educationem populi Israelitici ex Aegypto considerasse.

LXI.

Hæc singulis personis indifferenter à scriptura tribuitur, 2. Sam. 7. ubi dicitur: Inerunt Dij, ut redimerent sibi populum, &c.

LXII.

*ductio  
populi  
Israelitici  
ex Aegypto*

Et distinctè quidam Patri, Filio & Spiritui sancto, Esa. 63. Vbi Deus mirans angelum faciei est Pater: Angelus est filius Dei Filius, Malach. 3. Et de Spiritu Sancto expressè dicitur, quod à populo in solitudine irritatus & ad iram provocatus fuerit, & quod populum quasi in mentum duxerit.

LXIII.

De Filio etiam Apostolus testatur, 1. Cor. 10. eum fuisse populi ducem, & in deserto à Patribus tentatum esse.

LXIV.

Et de Spiritu Sancto Apostolus, Hebr. 3. interpretatur illud Psalmi 95: Hodie si vocem eius audieritis, ne obduretis cor vestrum, sicut in Meriba, sicut in Massa in deserto, in quo tentaverunt me Patres vestri, probaverunt me & viderunt opera mea: Hoc, inquam, Apostolus ad Spiritum Sanctum transfert, cum ait: Quapropter sicut dicit Spiritus ille sanctus, hodie si vocem eius audieritis, ne obdurate corda vestra, sicut in exacerbatione, in die tentationis illius in deserto, ubi tentaverunt me (Spiritum Sanctum) Patres vestri, & viderunt opera mea, &c.

LXV.

Cum igitur educio populi Israelitici à scriptura nunc Patri, nunc Filio, nunc Spiritui Sancto assignetur, ut demonstratum est: Vnum.

||

est: Vnum autem, & solum verum Deum fuisse Israël du-  
cem, in cantico suo Moses, Exodi 15. & ipse Dominus, Exodi  
20. & Num. 14. testetur: Vnde etiam Iehoua Deus irritatus  
& tentatus esse in solitudine scribitur, Deut. 6. & 9. Psal.  
78. 106. Sequitur vnum illum & solum verum Deum esse Pa-  
trem, Filium & Spiritum Sanctum.

L X V I.

Postremo vnus verus Deus est, de quo, Deut. 6. & 10. di-  
citur: Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruias: Et  
Psal. 50. Inuoca me in die tribulationis, &c. quod inuocationis  
cultum ad creaturam transferre nefas sit, Esa. 42. 48.

L X V I I.

At non solus Pater, sed Filius quoque honorandus est,  
Iohan. 5.

L X V I I I.

Vnde Hebr. 1. dicitur: Adorent eum omnes Angeli Dei.  
Et Psal. 71. Adorabunt eum omnes reges terra. Esa. 11. Ipsum  
gentes deprecabuntur.

L X I X.

Apostolus etiam, Rom. 9. illud Esa. 8. Iehouam exer-  
citus sanctificabit is, ad Filium transfert, in quem credentes  
non confundantur.

L X X.

Et Spiritui Sancto cultum adorationis deberi vel ex vno  
Esaie loco, cap. 6 manifestum est. Dominum enim exercituum,  
qui ibi adoratur, Apostolus, Act. 28. Spiritum Sanctum fuisse  
ostendit.

L X X I.

Et in symbolo Apostolorum clarissime profiteamur, nos cre-  
dere in Spiritum Sanctum. Fides autem fundamentum est vere  
inuocationis: sicut dicitur, Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in  
quem non credunt?

L X X I I.

Pater ergo, Filius & Spiritus Sanctus sunt vnus ille &  
idem Deus, qui est inuocandus.

No. 12.

et, 44.

LXXIII.

Et quoniam non secus in nomen Filij & Spiritus Sancti, quam in nomen Patris baptizamur, Matth. 28. qui tamen uni soli Deo fœderis symbolo obfirmamur, ut à quo etiam in fœdus recipimur: (unde baptisimus stipulatio cum Deo nominatur, 1. Pet. 3.) Idcirco Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unum & eundem Deum credere & profiteri necesse est.

LXXIII.

Quapropter, cum hætenus ex appellationibus Iehouæ & Dei, ex opere creationis, ex bonorum spiritualium distributione, ex educatione Israël ex Aegypto, ex cultu inuocationis, & deniq; ex formula baptismatis nostri demonstratum sit, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse unum & eundem verum Deum: rejiciendi & damnandi sunt fœdissimi Antitrinitariorum errores, siue illi sint Photiniani, siue Ariani, siue Tritheitæ, qui Filium & Spiritum Sanctum diuinitate sua speli-  
ant, & solum Patrem, excluso Filio & Spiritu Sancto, unum verum Deum esse contendunt.

LXXV.

Etsi enim Pater solus verus Deus appellatur, Iohann. 37. & unus Deus, 1. Corinth. 8. Tamen non hoc dicitur, quod solus Pater unius Dei nomine censendus sit.

LXXVI.

Nam differunt hæc locutiones: Unus est Deus, Pater ex quo omnia, &c. Et solus Pater est Deus. Hæc enim solum Patrem, extra Filium & Spiritum Sanctum, Deum statuit: Illa ordinem & distinctionem personarum & officiorum ostendit.

LXXVII.

Deinde Pater est solus verus Deus respectu creaturarum: (quemadmodum & Iesus Christus unus est Dominus, 1. Corinth. 8.) Respectu autem Filij & Spiritus Sancti non solus Pater Deus esse dicitur, sicut neq; Filius respectu Patris & Spiritus Sancti solus est Dominus.

LXXVIII.

Si enim solus Pater extra Filium & Spiritum Sanctum  
esset Deus, sequeretur Filium & Spiritum Sanctum esse nume-  
randos inter Deos alienos: & sic vana redderetur fides nostra,  
vanus etiam esset baptismus noster, qui in Deum Patrem, Fili-  
um & Spiritum Sanctum credimus, & in nomen illius bapti-  
zamus.

LXXIX.

Deniq; Pater est solus verus Deus scilicet gignens, quem-  
admodum Filius est solus verus Deus genitus, Spiritus San-  
ctus est solus verus Deus procedens.

LXXX.

Nominatur etiam Pater saepius in scriptura Deus, quam  
vel Filius & Spiritus Sanctus, non quod hi duo à Deitate ex-  
cludantur, sed ut ex hoc, quia Pater est, origo & principium  
Deitatis in Filio & Spiritu Sancto, sicut etiam rerum condita-  
rum omnium, ipse verò à nullo est.

LXXXI.

Et propter hanc quoq; originis & personarum diuinitatis  
distinctionem Pater Deus vocatur, non autem Filius, ubi utri-  
usq; sit mentio. Ut cum dicitur: Benedictus Deus & Pater Do-  
mini nostri Iesu Christi, 2. Cor. 1. Ephes. 1.

LXXXII.

Imò Christus Patrem eundem nobiscum Deum agnoscit,  
Iohan. 20. Ascendo ad Deum meum & Deum vestrum.

LXXXIII.

Non quòd vera diuinitate se abdicet, sed quia est Deus  
de Deo, & in persona Mediatoris Ecclesiae causam agens omnia  
refert ad Patrem, qui fons est totius Deitatis & rerum  
omnium.

LXXXIIII.

Scriptura igitur dicta, quibus Pater unus & solus verus  
Deus nominatur, non excludunt Filium & Spiritum Sanctum  
à vera diuinitate, quæ tribus personis communis est: sed vel  
de distinctione personarum diuinitatis earumq; officiorum, vel  
de ordine originis inter ipsas, vel de exclusione creaturarum  
omnium à diuinitate Patris intelligenda sunt.

LXXXV.

Atq; ita scriptura minimè contradicente, sed approban-  
te & docente, firmissimis consecutionibus demonstratum est,  
quòd Pater, Filius & Spiritus Sanctus sint unus &  
idem Deus, qui est benedictus in  
secula, Amen.



MAGDEBURGI, EXCVDEBAT VVIL-  
hel nus Rosß, 1579.